

PROLEGOMENA.

verfatur, quem præcipuum imò vnicum virtutis scopum statuunt Philosophi: imò hanc virtutē virtutum omnium ornamentū prædicant. Enimverò accuratiùs hæc de re non disputo, an alius sit aut debeat esse virtutum finis, quàm gloria: siquidem fateor nobis Christianis alio esse collimandum, ad Dei videlicet gloriam & laudem, cuius solius studio ad virtutem incitari nos oportet, neglecta nostrum ipsorum existimatione, quâ nos transuersi rapti planè ab illo scopo aberramus. Possumus tamen crassiusculè ista proponere & ex vulgari humanarum actionum vsu. Est enim perpetua virtutis comes gloria, quæ licet potissimum nobis quærenda non sit, tamen quia ab illa diuelli non potest, tangi nos etiam aliquo huius studio omnino absurdum non est, modò in ea solùm non acquiescamus, sed quasi perfunctoriè & aliud quodammodo agentes eam complectamur. Et sanè eius ratio nonnulla habenda est, sed moderata: illud quidem ne in pusillanimitatem, hoc ne in ambitionem delabamur, quæ vitiosa tum ex defectu, tum ex excessu iudicari possunt. Magnanimitas itaq; Poëtica aut contemnere, aut amplecti honorem & gloriam præcipit. Et contemnere quidem varijs de causis, quarum nonnullas breuiter attingemus. Phocylides piè monet, ne quis ob proprias dotes nimium superbiat, vt aut propter sapientiam, aut vires, aut diuitias: siquidem vnicus Deus hæc iure sibi vindicet. Audite eum loquentem:

Μὴ γὰρ ὑπερβῆτε, μὴτ' ἀλλυῖ, μὴτ' ἐνὶ πλοῦτῳ.
Eis θεός ἐστι σοφός, δυνατός ἄμα, καὶ πολυούλιος.

Sapientiam ne iacta, neq; vires, neq; diuitias.
Vnus Deus est sapiens, potens, & multifariam diues.

Quàm rectè, quæso, his verbis nimia magnanimitas hominum compescitur? siquidem soleant pleriq; ex ijs gloriam aucupari, quæ cum propriè solius sint Dei, tamen quasi sua neq; aliunde accepta, sed propria industria comparata, venditant. Sanè breuis ille anfractus latissimè extenditur, & hoc quiuis vestrum satis apud se potest expendere. Iam verò cum Poëtæ eorum fortunam spectant, qui magnis honoribus potiti, varijs tamen calamitatibus obnoxij sunt, mouere solent alios ne ea capeffant, vnde tot illis creati possunt pericula. Vnde Naso:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam. & post:
Tu quoq; formida nimium sublimia semper,
Propositiq; memor contrahe vela tui.
Vive sine inuidia, mollesq; inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares. Et alibi:

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumq; potes prelustria vita:
Sæuum prelustri fulmen ab arce venit. Et Seneca:
Humili loco, sed certa sedet (Ja eadit.
Sordida parue fortuna domus: Alie virtus omnino:

Et hæc quidem salutaria sunt præcepta, ac qui illis honoribus publicis carere potuerit sine vlllo suo aut Reip. (cui nos etiam natos Plato nouerat) detrimento, sanè longè feliciorē vitam transiget. Quia tamen obseruari non possunt ex illa Platonis voce, quam perstrinximus, videndum est vt eos qui hanc honorum molem à se amoliri nō possunt, instruat quoq; nostra Poëtica. Qui eam ergo, siue generaliùs aliquam, gloriam affectant, discant à Poëtis, quæ via illis sit insitenda. Primum ergo Virtutem ijs amplectendam docent: nam, vt ait Zenodotus,

Κηρύσσεται ἀὰ ἡ ἀρετὴ κακὸς δ' ἀνὴρ
Σιγήθων ἴσχει ἴσως τὴν καὶ θανάτῳ βίον

Celebratur semper virtus, Improbi autem
Silentio obruitur viuenti & defuncti vita.

Alij ex fortitudine gloriam captandam proponunt. Rectè ergo Homerus noster militi dicet:

Ἄλλοιμ' ἴσ' ἵνα τις σὲ καὶ ὀψιόναρ ἴδῃ ἄπ' αἴθ'.

Fortis esto, vt quis posterorum te laudet.

Quò pertinet illud Theognid.

— Ἀρετὴς δ' ἕξαστα καὶ οὐρανὸν ὀκλήσεται
Ἀλχηθὴς δ' ἐν ἀνδρῶν γλῶσσῃ καὶ ἄστυ σάοι

— Virtutis autem ingens gloria nunquam peribit.
Vir enim pugnando fortis, agros & ciuitatem defendit.

Longè verò elegantissima illa Thebani Lyrici:

Τιμὰ δ' ἀγαθῶν ἀνδρῶν
Ἦτω γὰρ σοφίε, θεοῖσι ἴσως
Ταῦτα νειδίκα χάλα —
Ἰσ' αἶματ' ἔπος φίλας
Πάτρας ἀμύωνται,
Λοιγὸν ἀμύων Ἰναντίφ' ετρατῶ
Ἀ' εὐν, γυνῶ μίγιστον καὶ αἶψον
Ζῶων τ' ἀπὸ καὶ θανάτῳ.

Honor fortibus propositus est.
Sciat enim perspicue, quisquis in
Ista (belli) nebula grandi —
nem sanguinis pro chara
Patria fundat,
Hostem vincens contrario exercitu
Ciuium generi maximam gloriam se augere
Seu superstes manserit, seu occubuerit.

Sunt & alia magnanimitatis argumenta, vt ex eruditione, iustitia, frugalitate, labore, & rebus arduis ac difficilibus: sed quorsum ego tot gazas ventilauero? Adite ipsos eosdem thesauros, & diuites illas arculas Poëtarum excutite, equidem non dubito quin maiora expectatione vestra reperturi sitis. Dicebam moderatam istam magnanimitatem requiri ne in Ambitionem decideremus, quam meritò Poëtica etiam volumina proscindunt. Audite locastæ verba ad Eteoclem filium apud Euripidem:

Τί τῆς κακίστης διαμόνων ἰφίσσαι
Φιλοτιμίας πῶς μὴ σὺν' ἄδικ' ἢ θύδ'ε
Πολλοὺς δ' ἐς οἴκουσ' καὶ πόλιν ἰνδύμονας
Εἰσέλθῃ, καὶ ἔλθῃ ἰν' ὀλέθρῳ τῶν ἡμετέρων.

Quid pessimam Deorum amplecteris
Ambitionem, ô fili! Ne facias. Iniusta hæc Dea
Multas in domos & ciuitates felices
Introgressa, & egressa est cum pernicie vtentium.

Quod Deam appellat id duriùs facit, quàm vt mea excusatione emolliri debeat: sed factum est ex veterum illorum consuetudine qui affectibus humanis in abstracto consideratis, hanc diuinitatem tribuere non verebantur. Hic tamen ex illis verbis fructus excerpri potest, quod deterrimum illud ambitionis vitium insectantur: itaq; illam alibi Euripides δανὸν κακόν, graue malum, & Pindarus ἀλγὸν ἰμφανὸς appellant. In Ambitione continetur Superbia: quæ quàm sit damnabilis ex eo satis docent Poëtæ quòd eam Deo exosam clamitent. Ζῶος δ' ἐν ἀνδρῶν γλῶσσῃ καὶ ἀμύων

Ἰπέρβωρον. Iupiter superbiæ lingue iactantiam Odit, inquit, Sophocles. Et Euripides:

— Τῶν φρονημάτων

Animorum

Ὁ' ἴν' ἐκλασθὲς τῶν ἄλλων ὑπερβόρων.

Iupiter vindex est animis superborum.
Sequitur superbos victor à tergo Deus.

Et Seneca: Dominare tum idus, spiritus altos gere:
Nunquid putatis hæc viro Politico commodè ac vtiliter præcipi? His ego sanè doctoribus fortunatas futuras Reip. publicas cum Platone probè intellecto, auguror, si eos illarum moderatores diligenter audierint. Veniamus ad CLEMENTIAM & Seueritatem Quæ virtus eidem, quem iam informamus, viro Politico non solùm in priuatis, sed etiam in publicis negotijs apprimè est necessària. Eius itaq; præcepta hauriat à Poëtis. Illi siquidem docent quatenus illa virtute sit vtendum, quibus in rebus, à quibus & in quos vsurpanda. Hic verò campū feracissimum, & latissimum